Ruffer – De Philosophie Xenophaneis Colophonii

DE PHILOSOPHIAE
XENOPHANIS COLOPHONII
PARTE MORALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOSHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LIPSIENSI

SCRIPSIT

PAULUS RUEFFER
PROSCHLITIENSIS SILESIUS
THEOLOGIAE EVANGELICAE ET PHILOSOPHIAE CULTOR.

LIPSIAE.
TYPIS G. KREYSINGII.
1868.

VIRO AMPLISSIMO

TRAUGOTT DE UNVERRICHT

NOBILIUM IN SILESIA PRINCIPI, EQUITI

ETC. ETC.

OMNI QUA PAR EST REVERENTIA AC PIETATE

HUNC LIBELLUM DEDICAVIT

AUCTOR.

VIRO AMPLISSIMO

TRAUGOTT DE UNVERRICHT

NOBILIUM IN SILESIA PRINCIPI, EQUITI

ETC. ETC.

OMNI QUA PAR EST REVERENTIA AC PIETATE

HUNC LIBELLUM DEDICAVIT

AUCTOR.

Quemadmodum qui studium collocat in rebus naturalibus scrutandis explicandisque non eas tantum res exquirit, quae venustate splendeant, sive serviant utilitati, sed vel absconditas et quae primo aspectu utilitatem habere nullam videantur, quod fortasse iis ipsis secreta naturae aperiantur: ita etiam ei, qui ad philosophiam se confert, non illustres tantum philosophi contemplandi sunt, quorum opera subtilitate placeant, sive quorum decreta ad vitam communem adduci possint, sed vel obscuriores et quorum doctrinae obsoletae habeantur, quod fortasse iis ipsis philosophiae vis atque natura praeclarissime perspiciatur.

Cadit illud cum in alios tum in Xenophanem illum Colophonium, cujus exiguae reliquiae magni ingenii et quod merito admirationem nostram commovet monumenta habenda sunt.

Quae reliquiae quum insuper dispersae sint vel apud scriptores, quorum testimonia et leviora et obscuriora videntur, magnae diligentiae laudem consecuti sunt illi viri, qui in explicanda Xenophanis philosophia versati, vera a falsis discernere susceperunt.

In numero eorum, qui ea ratione singulatim de Xenophane scripserunt primus nobis occurrit Roschmannus, edita diss. hist. philos. (praeside Feuerlin) de Xenophane. Altorf 1729. 4°. Libellum illum frustra in bibliothecis quaesivimus; Lud. Bergii testimonio, qui de Xenophane disserens „curiositatis“ tantum causa Roschmanni mentionem facere se dicit, exigui momenti fuisse videtur. Exactius autem Xenophanis reliquias recensuit Fuelleborn (Beiträge zur Geschichte der Philosophie). Copiose exposuit et commentatus est Chr. Aug. Brandis, edita commentationum Eleaticarum parte I. Altonae 1813.

Eleganter nec non scienter de Xenophanis vita et philosophia scripsit Victor Cousin (Nouveaux fragments philosophiques, Paris 1828). Illis accessit Karsten (Philosophorum Graecorum veterum etc. operum reliquiae Vol. I. p. I. Amstelodami 1830), qui magna cum diligentia et subtilitate Xenophanis philosophiam collegit, commentatus est, disposuit. Perspicue etiam disseruit Lud. Berg (diss. de Xenophane Colophonio. Heidelbergae 1842). Nuperrime rem retractavit Fr. Guil. Aug. Mullach (Fragm. philos. Graec. Parisiis 1860), effata Xenophais collegit, breviter, exacte recensuit. Ex illis Karsten Xenophanis philosophiam copiosissime tractavit distinctiusque quam priores ad artem redigere instituit. Disposuit autem Xenophanis decreta in tres partes: in decreta de divina natura, de physicis, de rerum cognitione. Tribus illis partibus quartam de moribus addi posse quum arbitraremur — Karsten Xenophanis dicta illuc pertinentia collegit et commentatus est, singulatim autem non exposuit — moralem philosophiae Xenophanis partem explicandam nobis proposuimus.

Priusquam autem ad exponendam illam Xenophanis de moribus doctrinam ipsam accedimus, in moribus et ingenio ejus evolvendis paulum commorandum nobis videtur, ut exigua miri illius philosophi decreta, et quorum nonnulla discrepare inter se videntur, clarius explicemus; in fine autem respiciendum ad rationem, quae Xenophanis doctrinae morali cum aetatis ejus ingenio intercesserit. Itaque partes instituimus hasce tres: de Xenophanis ingenio et moribus, de doctrina ejus morali, de ratione, quae ei cum aetatis illius ingenio intercesserit.

I.

Xenophanes Colophone oriundus, colonia ab Ionibus in Asia minore constituta, quo anno natus sit ab antiquis testibus ambigitur. Karsten *) excussis omnibus veterum testimoniis et inter se comparatis de Xenophanis aetate ita judicavit: „Flos ejus in Ol. 60 incidit, ut veteres testantur; et quantum ex rerum temporumque monumentis colligi potest probabile est, eum non ante Ol. 70 decessisse, ergo nec ante 45 Ol. natum esse, cum vita ejus centum ferre annis completa fuerit: itaque vixerit fere a. Chr. 600—500." Et Mullach **) in praefatione ad Xenophanis reliquias separatim instituta, philosophi illius aetatem definiens Apollodorum sequitur, qui eum Ol. 40 natum tradit. Itaque eadem fere sententia consistit qua Karsten. Confirmatur illa sententia Sexti Empirici testimonio (adv. Math. I. C. 12. 257 ed. Fabric. Lips. 1718), cum quo consentit Eusebius qui (Can. chron. ad Ol. 56 a. 4) notavit: *Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐγνωρίζετο,* et Diogenes Laertius, qui enumeratis Xenophanis operibus addidit: *καὶ ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ὀλυμπιάδα* (IX. 19).

Quibus testimoniis fidem habent Tennemann (Gesch. der Philosophie p. 71), Reinhold (§ 62), Zeller aliique.

De eruditione Xenophanis veteres pauca tantum notaverunt: solus Diogenes Laertius ***) quaestionem movet, utrum magistro aliquo in philosophia usus sit, an non, sed integram relinquit. Si Botonem eum audiisse ponimus, incertum manet, quas doctrinas

---

*) Philos. graec. vet. op. rel. Vol. I. P. I. pag. 10.

**) Fried. Guil. Aug. Mullach, Fragm. philos. graec. Parisiis 1860.

***) *Διήκουσεν δὲ κατ᾽ ἐνίους μὲν οὐδενὸς, κατ᾽ ἐνίους δὲ Βότωνος Ἀθηναίου ἢ (ὥς τινες) Ἀρχελάου καὶ ὡς Σωτίων φησὶ, κατ᾽ Ἀναξίμανδρον ἦν.* Diog. Laert. IX. 19.

ei debuerit, quum et aetas et doctrina illius viri ignotae sint. Archelai eum discipulum fuisse negat Mullach, quod temporum ratio videatur obstare. Neque ille longius hanc quaestionem disceptat, absolvens rem verbis hisce: „Quare fuerunt, qui eum nullius auditorem fuisse arbitrarentur.“ Quorum sententiae assentiens recte judicasse videtur.

Minime autem contenderimus nullius omnino Xenophanem institutione usum esse, quum et ex iis quae leviter et universe significata reperiuntur *) et ex tota ejus philosophia facile conjici possit, eum subtilissima pro illis temporibus doctrina fuisse.

Non solum quae in Graecorum scholis docerentur accurate didicisse videtur, sed etiam insuper quantum posset cognitionem monumentorum et literarum Graecarum auxisse, atque poetarum et philosophorum opera intellexisse atque perspexisse, siquidem cum illis certasse traditur **).

Ad talem doctrinam pervenit multis fortasse magistris usus, atque si Diog. Laertius tres dicit, quis scit an non plures fuerint, qui etsi doctrina abundarent, deficiente inventionis felicitate, quum novi nihil proferrent, in oblivionem venerint?

Quibus omnibus non comprobatur Xenophanem certam aliquam sectam usitato apud philosophos more secutum esse.

Accedit, quod notas priorum doctrinas non accepisse videatur neque principalia philosophiae ejus decreta apud quemquam priorum reperiantur. Ex sua indole nativa protulit, quidcunque

*) Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει, Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξεν καὶ Πυθαγόρην αὖθίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον. Diog. Laert. IX. 1. cfr. Karsten p. 13. Cum talibus viris vituperari Xenophani haud minima laus fuit, praesertim quum Heraclitus soleret esse in judicando morosior.

**) Γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείαις καθ' Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. Diog. Laert. IX. 19.

Ἀντιδοξάσαι τε λέγεται Θαλῇ καὶ Πυθαγόρᾳ, καθάψασθαι δὲ καὶ Ἐπιμενίδου. Diog. Laert. IX. 18.

Magni Xenophanis doctrinam habet Krause (Gesch. der Erziehung § 3), qui de puerili disciplina in Ionum civitatibus usitata disserens Xenophanem memorat, qui educationis rationem mutari voluerit, eodemque eum refert, quo Platonem, qui Homerum et Hesiodum reliquosque poetas e republica ejiciendos existimaverit. Etiam Graefenhan (Gesch. d. Philologie § 42) Xenophanem, quatenus Homeri carmina recensuerit, describens, ita incipit: Xenophanes der aufgeklärteste Grieche innerhalb mehrerer Jahrhunderte etc.

in philosophia praecepit Xenophanes. Quodsi a Botone vel alio ignoto philosopho philosophiae decreta acceperit, mirum est, cur illos ipsorum philosophia non illustres reddiderit, quemadmodum Xenophanem. Denique ita a prioribus philosophis Thalete et Pythagora dissensit, ut irrisu eos sectaretur, quod quidem si revera magistris iis usus esset, qua pietate fuisse traditur, committere non potuisset. Ipsis igitur magistrorum et philosophorum decretis in gravissima philosophiae suae parte usus esse non videtur.

Ex ea ipsa autem re, quod omnes priorum doctrinas noverit et tamen nihil earum acceperit, firmo quodam et elatiore ingenio eum fuisse apparet: subtili cogitatione monumentis Graecorum ingenii comprehendendis et secundum suam indolem nativam denuo quasi regenerandis, novas res peperit et protulit.

Ita factum est ut Graecorum religionem non eo sensu quo priores vel aequales accipere posset. Quos si levis quidam et puerilis adhuc animus idoneos fecit, ut sine judicio temere veterum opinionibus assentirent, Xenophanem acre et acutum ingenium prohibuit, quominus communem famam et sermonem ad verbum acciperet. Quum mens ejus ad frugem quasi pervenisset, firmiore judicio eo adductus est, ut omissis auctoritatibus ipsa re et ratione veritatem exquireret et ad suum arbitrium interpretaretur, quaecumque de religione vulgo credebantur. Causas igitur dubitandi de omnibus quos Graeci colebant diis attulit ei mens illa acuta, in qua magna animi ejus vis posita est.

Provectiore illa mente factum est, ut aetatem suam praecurrens prorsus aequalium suorum sacris opinionibus se opponeret. Mentem enim illam secutus, religionum a prioribus acceptarum infirmitatem perspiciens, subruere et evertere earum auctoritatem instituit.

Quod contra tantum aberat, ut Graeci, animadversa fabularum infirmitate, ad subtiliores religiones eniterentur, ut ne inquirere quidem in eas studerent. At videbat Xenophanes quid Graecos maneret, temere opinionibus atque religionibus se permittentes, quae puerili aetate acceptae ab adultae civitatis ingenio superandae essent, quas rejicere nollent, quum elegantia, facilitate, indulgentia excellentes, suavitatis multum haberent: videbat corruptelam

sub nitida religionis specie latentem perniciemque toti civitati molientem — falsamque esse Graecorum religionem persuasissimum ei erat.

Itaque facile est intellectu, contemtim Xenophanem de Graecis locutum esse, quum in priorum opinionibus segniter perseverantes, speciem adolescentium, in puerilis aetatis legibus acquiescentium, praeberent. Quum videret, veteres illas religiones, a majoribus acceptas, secundum rerum naturam integrae tantum gentium aetati convenientes, etiam tum in summa auctoritate esse apud Graecos, qui callidi quidem artifices novarum voluptatum comparandarum essent, minime autem eniterentur ad componendas novas religiones subtilioresque et quae tempori convenirent: facere non potuit, quin, ex segnitia illa et levitate eos excitaturus, mordaci carmine*) perstringeret, quidquid in veteribus religionibus ridiculum, indignum, turpe existimaret. Itaque Xenophanes, mente libera solutaque mores et ingenium gentis suae perscrutatus, a recensendis et vituperandis Homeri et Hesiodi operibus ad deserenda sacra patriae processit, abalienatus a suae aetatis ingenio et a gentis suae animis.

Sed eadem ejus mens acuta ad cogitandum, quum religionis, cui certo et ipse initio erat addictus, fundamenta evertisset et dissolvisset, novas ei et subtiliores rationes statuere, perenniorem disciplinam exstruere debuit.

Quas rationes exquirens, utrum a ratione et disciplina philosophorum priorum, an a sacris Graecorum opinionibus profectus sit, disceptandum videtur. Communis ei cum philosophis illis est explicandi illa et enodandi methodus, quam analyticam dicimus, et quod repperit rerum principium ab iisdem tentatum atque

---

*) *Γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείαις καὶ ἰάμβοις καθ' Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα.* Diog. Laert. IX. 19.

Propterea Timon ap. Sext. Emp. Pyrrh. I. 33. 223. eum dicit:

Ξεινοφάνην ὑπάτυφον Ὁμηροπάτην ἐπικώπτην. Cfr. Sext. Emp. adv. Math. IX. 193 et I. 289.

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε
Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν,
Καὶ πλεῖστ' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα·
Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Composuit hos versus ita Karsten p. 44. Frg. VII. et accepit Mullach Frg. philos. Graec. (Xenoph. 7.)

praeparatum videtur. Sed inter Xenophanis et illorum de rerum principio sententias hoc maxime interest, quod Xenophanis principium sive ens supremum divinitatis aliquid habere manifestum est. Quam divinitatem quum etiam atque etiam graviter praedicatam legamus, id potissimum Xenophanem spectasse vel gestiisse contenderimus, ut summum aliquod divinum numen statueret, desiderioque quodam et impetu animi incitatum fuisse, ut religionem componeret, qua reficeret quod dissolvisset et amisisset, et ad quam posset referre morum disciplinam, quae homine dignior esset quam illa, quae ex Graecorum sacris opinionibus sequeretur.

Atque quum jam multum studii contulisset ad recensendas Graecorum religiones, nescio an non erremus arbitrati, inde eum profectum esse, exquirentem numen divinum, quod dignius coleretur et felicius *).

Contemplantes enim qua ratione Xenophanes Homeri et Hesiodi opiniones recensuerit et qua de causa rejiciendas eas existimaverit, primo jam aspectu animadvertimus, deos omnes Graecorum verae dei notioni non respondere, neque eorum imagines vero numine divino dignas ei visas esse; colligimus autem inde Xenophanem omnino deum non negasse, dubitasse tantum de diis Graecorum. Itaque intellexit inesse etiam anthropomorphismo illi dei ideam, sed junctam cum ejusmodi rebus, per quas idea ipsa deformata et corrupta esset.

Perscrutaturus autem quaenam illa remotior subtiliorque idea esset, sub deorum multorum cultus specie occulta, analytica ratione usus est. Itaque haud scio an primo animadverterit, imagines quidem illas deorum, in opinione Graecorum positas, fortuitas esse neque necessarias, sed esse nihilominus aliquod summum numen **),

*) Ita Schwegler sentit, qui illam rem hisce verbis tangit: „Die Idee der Einheit Gottes und die Polemik gegen den Anthropomorphismus der Volksreligion ist sein Ausgangspunkt.“ Gesch. d. Philos. p. 10. Cfr. Karsten p. 106. Profectus est a poetarum fictionibus et fabulis, quibus tam deorum religio quam vitae disciplina erat repleta.

**) *Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος*
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος οὔτε νόημα.
Clem. Alex. Strom. V. pag. 601. C. et Euseb. praep. ev. XIII. 13. p. 678. D.

a cujus insita quidem hominum animis, sed adumbrata adhuc notione, formae illae et imagines profectae essent.

Existimat enim Xenophanes illas deorum imagines nihil aliud esse nisi dei notionem, Graecorum animis quales priore tempore fuissent speculo quasi repercussam, quas eadem ratione, qua animi eruditione mutarentur, mutari oportere: convenire easdem tantum hominibus eodem quo priores eruditionis gradus consistentes, evertendas igitur et mutandas esse pro omni semper aetatis ingenio.

Ita etiam sibi licere vel ad officium suum pertinere censet, ut Graecorum opinionibus antiquitus acceptis subtilionem dei notionem, ad tempus convenientem, qualis suo animo obversetur opponat: hominis enim esse, quidquid dii semel significaverint amplius exquirere et expolire *)

Sed divini illius numinis notionem exquirens et expoliens, singulare etiam quiddam spectandum sibi esse putavit. Sententia ejus de ortu religionis Graecorum est: ex sua natura veteres deorum imagines sibi finxisse **).

Sed de ejusmodi deorum imaginibus Xenophanes judicat, facile esse ex animo suo et cogitatione deos sibi fingere, omnes enim gentes ingeniosas satis fuisse, ut deos sibi excogitarent, quum corporis forma (*ἀνθρωπομόρφους*) et animi motibus (*ἀνθρωποπαθεῖς*) sui similes eos faciendo acquiescerent: quin immo rei augendae causa — ut opinamur — veritatis superlatione et

---

*) *Οὔτοι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς ὑπέδειξαν,*
Ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.

Stob. Florileg. Tit. XXIX. sect. 41. ed. Gaisf. et Eclog. P. I. p. 224.

**) Intelligitur illud cum ex aliis dictis tum ex illo quod servaverunt Clemens Alexandrinus (Strom. V. p. 601. C.) et Eusebius (praep. ev. XIII. p. 678. D.)[1]) cfr. Clem. Alex. Strom. VII. p. 711. B:

Ἕλληνες δὲ ὥσπερ ἀνθρωπομόρφους οὕτω καὶ ἀνθρωποπαπαθεῖς τοὺς θεοὺς ὑποτίθενται, καὶ καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς ἕκαστοι διαζωγραφοῦσι, ὥς φησιν ὁ Ξενοφάνης· Αἰθίοπές τε μέλανας σιμούς τε, Θρᾷκές τε πυῤῥοὺς καὶ γλαυκούς· οὕτω καὶ τὰς ψυχὰς ὁμοιοῦσι, καὶ τοῖς ἀνακλάττουσι.

---

[1]) *Ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι —*
Τὴν σφετέρην τ' αἴσθησιν ἔχειν φωνήν τε δέμας τε.

trajectione usus, ipsas beluas, si fabulas scribere et marmora sculpere possent, deos sibi facturas esse affirmat *).

Facilem autem illam rationem deos cogitandi falsam esse, minime enim Graecos, deorum imagines ad suam naturam accommodantes, veram dei naturam expressisse. Ipse autem qua ratione in exquirendo summo numine usus sit considerantes, id eum spectasse intelligimus, ut deum non tam fingeret, cogitatione quasi exstrueret, temere acciperet, sed adhibita ratiocinatione reperiret. Atque quum intellexisset, Graecos in accipiendis deorum opinionibus quum affectibus suis nimis indulgerent, in absurdos errores incidisse, abstrahens animum ab omnibus affectibus, solam mentem acutam secutus est. Qua in re quantum constantia firmaque voluntate posset ostendit.

Rejectis deinceps Graecorum erroribus, negatisque omnibus rebus, quas deorum proprias praedicabant, deum repperit, cujus notio tam tenuis erat, ut nullius certo hominis pietatis desiderium posset explere.

Pium autem fuisse Xenophanem manifestum est; pietas alterum est, quod in ingenio et moribus ejus eminet.

Pio desiderio ad numen divinum quod cultu dignissimum esset exquirendum accessit, impios dicens, qui deos ad hominum similitudinem abduxissent, neque minus peccare, quam qui deos omnino negarent **).

Ex pio animo dictum ejus illud, quod notaverunt Clem. Alex. et Eusebius ***), profectum esse Brandis intellexit, qui idem aliud Xenophanis dictum:

Αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδέν

---

*) *Ἀλλ' εἴτοι χεῖρας γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες*
Ἢ γράψαι χείρεσσιν ἢ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες.
Ἵπποι μὲν θ' ἵπποισι βόες δέ τε βουσὶν ὁμοίας
Καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
Τοιαῦθ', οἷόνπερ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ὁμοῖον.
Clem. Alex. et Euseb. l. l. cfr. Mullach fr. 5.

**) *Ξενοφάνης ἔλεγεν ὅτι ὁμοίως ἀσεβοῦσιν οἱ γενέσθαι φάσκοντες τοὺς θεοὺς τοῖς ἀποθανεῖν λέγουσιν· ἀμφοτέρως γὰρ συμβαίνει, μὴ εἶναί ποτε τοὺς θεούς.* Arist. rhet. II. p. 446.

***) *Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος*
Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα.
Clem. Alex. Strom. V. p. 610. C. et Euseb. praep. ev. XIII. p. 678. D.

Οὔτε μετέρχεσθαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ.
(Simplic. ad Arist. phys. fol. 6. a.)

ita commentatus est: „In quo etsi parum persuadendi necessitatis adhibitum sit, quis non insignem philosophi pietatem agnoscat, qui non solum ab sensuum sed ab omnium rerum humanarum contagione summam dei notionem quam maxime potest disjungere studet et sevocare.“ *) Scripsit idem (p. 71.): Aliud pertinet pii animi dictum, quod laudat Aristoteles Rhet. I. 15. p. 422: *Οὐκ ἴση πρόκλησις αὕτη ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ*, cui assentire videtur Zeller **) dicens: Er verwirft das Beweismittel des Eides, weil er darin einen Preis für die Gottlosigkeit findet ***).

Haec sufficiant quibus intelligatur, Xenophanem non solum acutum et subtilem in philosophia, sed etiam in rebus divinis pio animo fuisse.

Sed pietate illa summum illud numen, quod multa scrutatione repererat, amplecti non potuit. Illius enim dei notio non concepta nisi mente, fortissime a corpore se abstrahente — utrum pura fuerit illa notio an rebus adhuc corporeis mixta nihil hic referre videtur — attenuata nimis fuit, quam quae pietatis desiderium, quo tenebatur Xenophanes explere posset. Quod ratione ab omni mortali concretione aliena repererat, ceteris animi viribus sensu et voluntate amplecti non potuit, quum animi affectibus in cogitanda dei natura indulgere, mentis constantia eum vetaret. Ratione concepta illa dei notio non respondet ad pietatis desiderium: deficit rationis et pietatis concentus atque consensus, qui summus esse debet †).

*) Brandis, Comment. Eleat. Altonae 1813. P. I. p. 42.

**) Zeller, Philosophie d. Gr. Tüb. 1856. I. p. 392.

***) Omnino scilicet Brandis Xenophanis pietatem satis graviter praedicandam existimavit, ex ea multa dicta profecta esse ostendens.

†) Talis philosophiae eventus Jacobii nobis memoriam affert, qui illos animi motus philosophi a se ipso dissidentis praeclare ita descripsit:

Licht ist in meinem Herzen, aber sowie ich es in den Verstand bringen will, erlischt es. Welche von beiden Klarheiten ist die wahre? Die des Verstandes, die zwar feste Gestalten, aber hinter ihnen nur einen bodenlosen Abgrund zeigt? Oder die des Herzens, welche zwar verheissend aufwärts leuchtet, aber bestimmtes Erkennen vermissen lässt? Kann der menschliche Geist Wahrheit ergreifen, wenn nicht in ihm jene beiden Klarheiten zu Einem Lichte sich vereinigen? Und ist diese Vereinigung anders denkbar als durch ein Wunder?

Ita animo distentus quasi et divulsus alio tempore alium se praestitit, diversasque de se sententias concitavit. Timon ingenii acumine et observatione notissimus idemque rerum Graecarum peritissimus *ὑπάτυφον καὶ οὐ τέλειον ἄτυφον* Xenophanem dicit (ap. Sext. Emp. Pyrrhon. I. 33. 223) propter ejus constantiam in praedicandis decretis et in spernendis aliorum opinionibus acerbitatem, et tamen quis modestior ipsiusque Socratis similior, quam idem Xenophanes, qui, quum falsa via se incessisse intellexerit, non dubitat querelas profundere:

Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
Ἀμφοτερόβλεπτος δοκίῃ δ' ὁδῷ ἐξαπατήθην
Πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐὼν καὶ ἀπανθήριστος ἁπάσης
Σκεπτοσύνης *)·

et qui eo audaciae processit, ut res divinas publice receptas in ludibria verteret, misericordiam nostram concitat, quum, summa senectute confectus, cum dolore quodam ad irritos multorum annorum labores respiciens, queratur:

Ἤδη δ' ἑπτά ἔασι καὶ ἑξήκοντ' ἐνιαυτοί
Βληστρίζοντες ἐμὴν φροντίδ' ἀν' Ἑλλάδα γῆν.
Ἐκ γενέτης δὲ τό τ' ἦσαν ἐείκοσι πέντε δὲ πρὸς τοῖς,
Εἴπερ ἐγὼ περὶ τῶνδ' οἶδα λέγειν ἐτύμως. **)

Summa constantia et sinceritate numen divinum exquirens, in quo animus acquiescere posset — frustra enisus est. Unde illud fieri arbitraretur? Dubitat num omnino rerum veritas intelligi possit:

Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔσται
Εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων,
Εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπών,
Αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. ***)

Unde etsi certo colligi nequit, omnino eum rerum naturam humani ingenii viribus percipi posse negavisse, sed ita judicasse non tam ex causis in rerum natura, quam in opinione positis, ta-

---

*) Sext. Emp. Pyrrh. I. 33. 224. praepositis: *ἐν πολλοῖς γὰρ αὐτὸν ἐπαινέσας* (sc. Timon) *τὸν Ξενοφάνην ὡς καὶ τοὺς σίλλους αὐτῷ ἀναθεῖναι ἐποίησεν αὐτὸν ὀδυρόμενον καὶ λέγοντα·*

**) Diog. Laert. IX. 19.

***) Sext. Emp. adv. Math. VII. 49 et 110., VIII. 326. cfr. Plut. symp. IX. p. 746. B.:

Ταῦτα δεδόξασται μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισι.

men certe de vera dei cognitione dubitasse videtur. Non contigit ejus rationi a corpore summo studio se abstrahenti deum, in quo posset acquiescere, reperire, quum quidquid insita homini conscientia moneret, in exquirendo summo numine negligendum atque rejiciendum censeret*), rerumque naturam oculis perceptam, ex qua vel maxime integra hominis mens divinum numen percipiat, fallacem existimaret.

Itaque Xenophanes, quamvis falsas aequalium suorum opiniones perspexisset easque rejecisset, multorumque annorum studium in exquirendo summo numine condidisset, tamen in sublimem illam, quam repererat, dei notionem pietatem suam convertere non potuit.

Animi autem motiones inde ortas apud Cramerum (Geschichte der Erziehung u. d. Unt. II. p. 154) ita descriptas legimus: „Der Eleate ist vergleichbar einem in tiefe Betrachtung versunkenen Menschen, der von seiner nächsten Umgebung den Blick abgewandt hat und sich nur auf den Gipfel eines sonnenbestrahlten Berges mit einem Male erheben möchte, um da gleich in einem Anschauen den Einen Gott zu sehen, der die vielen Wege, die nach dem einen Ziele der Erkenntnisse führen, unbeachtet und unbenutzt lässt, weil er auf ihnen nur eine unvollkommene, ungenügende Ansicht des Alls erhält, dessen Brust zwar erfüllt ist von der ewigen Wahrheit, dass Gott nur einer ist, und dass nichts neben und ausser ihm besteht, der aber nicht von dem Einzelnen zum Ganzen fortgeht und nicht vom Unvollkommenen zum Vollkommenen aufsteigen will, bei dem sich in der Erscheinung nur leerer Schein und eitler Trug, nicht zugleich auch das Wesen und die Wahrheit mit ausspricht. Gott ist der Mittelpunkt im Reiche der Erkenntniss, jeder Mensch ist davon mehr oder weniger entfernt, jeder muss suchen durch eifriges Streben und reges Forschen dahin zu gelangen: der Eleate will gleich da sein ohne erst hinzukommen, ohne erst die Bahn, die dazu führt, zu durchwandern, er will die Räume durchfliegen, aber nicht auf den Flügeln der Phantasie, sondern durch die Kraft des Wil-

*) Ceterum subtilissima erat in Xenophane illa conscientia, quum in ea omnem morum disciplinam exstruendam censeret. De quo infra.

lens, und scheitert daher an der Unmöglichkeit seines Beginnens." *)

Ita Xenophanem describens etsi Cramer ex nostrae nimis aetatis ingenio locutus esse videatur, manet tamen, quod recte intellexit, Xenophanem, elatiore quodam animo praeditum, suam certe aetatem praecurrisse.

Cernitur autem, ut jam supra diximus, illa animi elatio et in pietate singulari et in mentis acumine.

Pio animo praeditus undique circumdatum se sentit a summi numinis divinitate: cui quominus, ardentissimum animi impetum secutus, totum se tradat, mentis constantia et tristitia prohibet. Vincit semper acutae mentis pertinax constantia illum animi impetum, omnique rerum naturae venustate rejecta pulchram rerum vicissitudinem ita dissolvit, ut una tantum immobilis et rigida quaedam substantia conspiciatur, et quae omni venustate careat. **)

Itaque tantum aberat, ut Xenophanes summi numinis cognitione animum quietum redderet, ut luctu animique perturbatione absumeretur.

At Xenophanis de dei et mundi natura opinio vulgo Pantheismus dicitur. Quid causae est, cur illum opinio sua non ita quietum reddiderit, quemadmodum Stoicos, Spinozam aliosque, qui pantheismum praedicaverunt? Stoici et Spinoza in opinione sua quieto et firmo animo perseveraverunt, quia illa salutarem vitae disciplinam continuit. Comparantes autem Xenophanis pantheismum, quatenus eum ex paucis illis quae supersunt reliquiis intelligere possumus, cum opinionibus illis, quas in Stoicis et Spi-

---

*) Quibus etsi in universum Eleatici philosophi descripti sint, et quod de sensuum vanitate dictum est vel maxime in Parmenidem et Zenonem cadat, tamen certe quae de desiderio amplectendi numinis divini legimus ad Xenophanem referenda sunt.

**) .... *ὅππη γὰρ ἐμὸν νόον εἰρύσαιμι*
Εἰς ἓν δ' αὐτὸ δὲ πᾶν ἀνελύετο, πᾶν δ' ἐὸν αἰεὶ
Πάντη ἀνελκόμενον μίαν εἰς φύσιν ἵσθαθ' ὅμοιον.
Timon ap. Sext. Emp. Pyrrhon. I. 33. 224.

Cfr. Arist. Metaph. I. 5. 986. b. 18: *Ξενοφάνης δὲ ..... εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεόν.*

noza reperimus — (duo illa genera pantheismi sufficiant, quibuscum comparatus Xenophanis pantheismus perspiciatur) — intelligimus, eum virtutis principia, qualia in illorum philosophia reperimus, continere nulla, ita ut philosophia Xenophanis moralis cum reliqua ejus philosophia, physicis et metaphysicis, omnino non cohaeserit, aut certe de hac re propter reliquiarum exiguitatem statui nihil possit.

Cujus rei explicatio jam ad alteram dissertationis hujus partem pertinet.

II.

Stoici deum et mundum unam eandemque substantiam ponebant. Cui quum rationem tribuerent, divinaque ratione rerum naturam contineri arbitrarentur, summum bonum ad eam referre potuerunt docentes: secundum illam rationem homines vivere oportere. Ita arctissime philosophia moralis cum philosophiae eorum summa cohaeret. Si ad Xenophanis dicta, quibus divina natura definitur respicimus, in uno tantum rationis mentionem fieri intelligimus, nempe in illo:

Ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει.

(Simplic. ad Arist. phys. f. 6. a.) „*Φρενὶ*" omnia gubernari dicit Xenophanes. Sed videamus jam, quae sit vocis „*φρήν*" vis atque significatio, alium enim illa vox intellectum habet apud Pythagoram, alium apud Homerum. Pythagoras, si respicimus Diog. Laërt. VIII. 30: *τὴν δὲ ἀνθρώπου ψυχὴν διαιρεῖσθαι τριχῆ, εἴς τε νοῦν καὶ φρένας καὶ θυμόν. Νοῦν μὲν οὖν εἶναι καὶ θυμὸν καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις, φρένας δὲ μόνον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ* per vocem *φρὴν* rationem intelligit, summam perfectissimamque humani animi facultatem, qua cetera animantia superet.

Quod contra apud Homerum, ut Naegelsbachii *) verbis utar,

---

*) Naegelsbach, hom. Theol. (Abriss der hom. Psychologie.)

φρήν significat: „das rein körperliche Princip des geistigen Lebens, in welchem die Functionen des Geistes, Empfinden, Denken, Wollen ihren Sitz haben, welches nicht das Subject einer geistigen Thätigkeit sein kann, sondern nur das Mittel etc.“, *νοῦς* autem apud eundem „rationem“ significat.

Alius igitur illius vocis usus est apud Homerum, alius apud Pythagoram, quare quaestio oritur, quo sensu Xenophanes vocem *φρήν* intelligi voluerit.

Pythagorae usum eum recepisse forte quispiam contenderit considerans, Pythagorae doctrinam eum cognitam habuisse, quum ei cum illo in magna Graecia consuetudo intercesserit. Sed haec non sufficiunt. Namque primo Pythagoreorum philosophiae adversarius fuisse traditur eique pariter atque Thaletis opinioni oppositus *); oppositus autem vel maxime in sententia de humanae animae natura, et ita quidem, ut Pythagoreorum philosophiae celeberrimam partem (*μετεμψύχωσιν*) acerbis facetiis irrideret **).

Universam autem Pythagoreorum de hominis anima doctrinam rejicientem, singulas definitiones et significationes apud illos usitatas, Xenophanem accepisse, difficile est intellectu.

Huc accedit, quod omnibus Graecis, etiam doctrina non eruditis scripsit, eorum mores et ingenium conformaturus, quum ipse dicat, per sexaginta septem annos Graecos cordi sibi fuisse ***) et eadem de causa rapsodarum more carmina sua recitans Graeciam peragrasse tradatur †). Doctrinam autem suam promul-

---

*) *Ἀντιδοξάσαι τε λέγεται Θαλῇ καὶ Πυθαγόρᾳ ....*
Diog. L. IX. 19.

**) *Περὶ δὲ τοῦ ἄλλοτε ἄλλον γεγενῆσθαι Ξενοφάνης ἐν ἐλεγείᾳ προσμαρτυρεῖ, ἧς ἀρχή·*
Νῦν οὖν τ' ἄλλον ἔπειμι λόγον, δείξω δὲ κέλευθον.
Ὃ δὲ περὶ αὐτοῦ (scil. de Pythagora) *λέγει οὕτως ἔχει·*
Καί ποτέ μιν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα
Φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσθαι ἔπος.
Παῦσαι, μηδὲ ῥάπιζ', ἐπειὴ φίλου ἀνέρος ἐστὶν
Ψυχή, τὴς ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων.
Diog. Laert. VIII. 36.

***) Diog. Laert. IX. 19.

†) *Ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐρραψῴδει τὰ ἑαυτοῦ.*
Diog. Laert. IX. 18.

gaturus Homeri omnibus noti usum facilius receperit quam Pythagorae, cujus doctrina a doctis tantum intelligebatur.

Itaque si Xenophanes vocibus φρὴν et νοῦς usus Homerum secutus esse videtur, non eam rationem numini divino inesse intellexit, ad quam quemadmodum Stoici volunt omnis virtus possit accommodari.

Jam vero ad Spinozam respiciamus, qui idem Xenophanis non dissimilis, saepe jam cum eo comparatus est *). Etiam Spinoza omissis religionis suae mosaicae auctoritatibus, nihil christianae religionis accipiens, ipsa re et ratione veritatem exquirere studuit. Animum suum a se ipso dissidentem in desiderando, volendo, debendo tranquillare gestiens, illuc se attollere cupiit, ubi aeternum illud humani animi discidium dissolveretur, summusque animi motionum concentus atque consensus compararetur.

Substantiam quandam ponens libertatem illam reperisse sibi visus est, qua, quaecumque contraria inter se essent in hominum animis, ad beatae unitatis rationem reducerentur. Deum appellavit illam substantiam, quam extendi et cogitare praedicavit. Mentem humanam esse partem infiniti intellectus dei **); dei cognitione hominem cum deo ita in unum coire, ut voluntas et intellectus ejus numquam a se dissentiant ***). Quidquid bonum agnoscat intellectus, voluntati appetere necesse esse, deum suis legibus gubernare hominem, ita ut homo facere non possit, quin bene agat.

Facile intelligitur, mechanice hac ratione virtutem effici, quum morum disciplina naturae legibus contineatur.

---

*) Pet. Bayle, dict. hist. et crit. (Xenoph.): Il avait sur la nature de dieu une opinion, qui n'est guère différente de Spinozisme.

J. G. Buhle: De ortu et progressu pantheismi inde a Xenophane etc. in Commentt. soc. reg. scient. Gotting. X. p. 16: „Jam vero Eleaticorum opiniones a Spinozismo distare etiamsi recte contendas, manet tamen quod antea diximus, Spinozam cum illis non solum ab uno eodemque principio exiisse, sed tetendisse etiam quodammodo ad unam eandemque metam.“

**) Nostrae mentis essentia in sola cognitione constat, cujus et principium et fundamentum deus est. Eth. IV. opp. 101.

Mens humana est pars infiniti intellectus dei. Eth. II. p. 50.

***) Summum mentis bonum est dei cognitio et summa mentis virtus est deum cognoscere. Eth. prop. 28. p. 184.

Voluntas et intellectus unum sunt ac idem. Eth. II. p. 87.

Quam doctrinam animi sui desiderium implevisse Spinoza et ipse confessus *) est, et vita sua comprobavit.

Quum semper in deo versari se arbitraretur, ita supra omnes vitae humanae labores elatum se sensit, ut nec miseria neque ignominia intimum illud vinculum, quo cum sublimi numine divino conjunctus esset, posset solvere.

Ex cognitione dei tanquam ex fonte perenni amorem dei promanantem sentiebat, qui, infiniti amoris dei erga se ipsum pars, per se summam beatitudinem praebebat: jam in terra beatum se existimans, propter illam beatitudinem libidines coercebat, non futurae beatitudinis causa.

Atque ut Spinoza totam philosophiae suae disciplinam et rationem „ethicam" dixit, ita philosophiae ejus partem moralem cum reliquis decretis artissime cohaerere apparet **).

Ita Spinozae pantheismus bene beateque vivendi disciplinam continet, in qua hominis animus possit acquiescere.

Sed illa ipsa opinio, hominis animum cum deo in unum quasi coire, quamvis animum omnino quietum reddere videatur, tamen infirmissima est in eo, quod liberum hominis arbitrium prorsus evertit. Si Spinoza contendit mentem ad agendum non moveri nisi infinita causarum serie, liberum arbitrium prorsus sustulit.***)

Sed Spinoza religionem suam salutarem praedicavit, quatenus ejus animus pietatis desiderium posset explere.

Quare si Xenophanes eodem desiderio affectus, in opinione sua de rebus divinis acquiescere non potuit, diversum ejus pantheismum a Spinozae pantheismo fuisse arbitrandum est. Interest

---

*) Haec ergo doctrina praeterquam quod animam omni modo quietam reddit... Eth. V. p. 91.

**) Quidquid cupimus et agimus cujusque causa sumus, quatenus dei ideam habemus sive quatenus deum cognoscimus ad religionem refero. Eth. IV. Schol. I. prop. 37.

***) Voluntas non potest vocari causa libera, sed tantum necessaria. Eth. II. p. 28.

In mente nulla est libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a causa, quae etiam ab alia determinata est, et haec iterum ab alia, et sic in infinitum. Eth. II. p. 85.

autem inter utriusque philosophi opinionem vel maxime, quod Xenophanes negat, divinum numen in animis hominum vigere, humanum animum dei intelligentiae partem esse. Animum enim non divini generis sed πνεῦμα esse dicit *). Si autem animus (ψυχή), quem immortalem hominum partem vel post mortem in inferis remanere Graeci existimabant, non divini generis est, sequitur, ut neque, quemadmodum Spinoza vult, cum deo in unum coire; neque, humana voluntate cum divina congruente, hominis virtus divinis (sive naturae) legibus efficiatur. Sed sequitur etiam, ut in Xenophanis religione non eadem ratione, qua in Spinozismo, liberum hominis arbitrium perire possit.

Itaque Xenophanis pantheismum ea virtutis principia, quae Stoicismus vel Spinozismus, continuisse ex iis quae supersunt reliquiis ostendi non potest. Perlustrantes autem cetera Xenophanis dicta, quibus divinum numen descripsit, exquiremus, num omnino ex iis virtutis principia duci potuerint.

In illo de quo jam diximus effato:

Ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει.

de ratione quidem loquitur Xenophanes, sed eam non ita praedicat, ut ponere possimus, Xenophanem numen divinum personam esse existimasse. Sequitur inde ut divinus mundi ordo locum habere non possit neque benignitas dei neque justitia, atque vis illa, quam dei propriam Xenophanes praedicat; ea est, in qua mens et ratio desideretur et quam mechanicam dixerimus. Facile intelligitur illi numini omnes eas virtutes deesse, quas vulgo theismus deo tribuat. Ita inanis videtur dei notio, quam Xenophanes repperit, ut nulla virtus, nullum officium ad eam referri, nullo modo mores ea conformari possint.

Planius etiam Xenophanes ostendit hominem nulla religione cum deo conjunctum esse in effatis suis de divinatione, de Leucotheae cultu, de jure jurando. Divinationem funditus sustulit **),

---

*) Καὶ ἡ ψυχὴ πνεῦμα. Diog. Laert. IX. 19.

**) Cic. d. Div. I. 3. 5: Philosophorum vero exquisitissima quaedam argumenta cur esset vera divinatio collecta sunt, e quibus ut de antiquissimis loquar Colophonius Xenophanes, unus qui deos esse crederet divinationem funditus sustulit.

eaque re ostendit, deum cum hominibus consuetudinem habere nullam.

Quid de divino cultu censuerit et quomodo homines erga deum se gerere voluerit, in illo manifestavit, quod apud Arist. Rhet. II. 23. p. 447 C. legimus: Ξενοφάνης Ἐλεάταις ἐρωτῶσι εἰ θύσουσι τῇ Λευκοθέᾳ καὶ θρηνήσουσιν ἢ μή, συνεβούλευεν εἰ μὲν θεὸν ὑπολαμβάνουσι μὴ θρηνεῖν, εἰ δ' ἄνθρωπον μὴ θύειν. Graeci cum diis suis multum versantes, naturae convenire opinabantur, ut eo animi affectu ad deum aliquem accederent eumque colerent, qui ejus proprius esset. Id enim quisque sentiebat, necesse esse, ut inter se et deum, a quo auxilium et recreationem expectaret, animi quidam concentus esset atque consensus. Ita Bacchum gaudio colebant laetitiaque et voluptatibus, quod id maxime ingenio et moribus illius dei aptum opinarentur, Inonem sive Leucotheam autem cantibus lugubribus, quod illam, variis casibus jactatam, maestitiae aliquid habere putarent. Quam Leucotheam utrum usitato more an non colerent Eleatis interrogantibus ita respondit Xenophanis, ut satis aperte ostendisse videatur, non necesse sibi videri, ut artior conjunctio hominibus cum diis intercederet, ut dii animi affectibus sive pietatis signis colerentur *).

Denique de jurejurando aliquando disputans, jurando sententiam affirmare vetuit, non quo deorum sanctitas profanaretur, sed quia honesto viro indignum esset, cum improbo jusjurandum ei deferente contrahere, non quo deus jurejurando laederetur, sed quia homo justus ab injusto deciperetur. Ita jurisjurandi gravitatem non ad deum sed ad hominem refert **).

In jure jurando autem dei rationem habere omittens, nullum omnino officium ad deum retulisse videtur.

Religioni igitur, quam Stoicismus, Spinozismus vel omnis fere theismus efficit, in Xenophanis de summo numine opinione locus non est.

Haec etiam causa fuisse nobis videtur, cur jam veteres scri-

*) Siquidem ponimus Xenophanem quod de Leucothea dixerit omnino de summo numine dicere voluisse.

**) Tantum autem abest, ut deum sanctitate carere existimaverit, ut eum ita supra homines elatum censuerit ut injuriis eorum laedi non posset.

ptores Xenophanem physicum appellaverint; ita Strabo (XIV. 28. p. 643. ed. Casaub.) scripsit: Ξενοφάνης, ὁ φυσικός, ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας, et Eusebius (can. chron. ad Ol. 60. a. 2) notavit: Ξενοφάνης καὶ Φωκυλίδης ἐγνωρίζετο *). Itaque illud ἓν καὶ πᾶν etsi non idem sit, quod corporea Ionicorum philosophorum rerum principia, sed longe subtilius, manet tamen, quod non ea attributa moralia habet, ad quae morum disciplina possit referri **). Philosophia Xenophanis moralis cum reliqua ejus philosophia nulla ratione cohaerere videtur. Doctrina Xenophanis moralis, etsi ejus philosophiae principium in theologia et religione versatur, non continetur religione sed sola ratione, non ad deum referuntur morum praecepta sed ad hominem.

Quod genus virtutis quum non exerceri possit nisi ab eo, qui politiore humanitate praeditus sit, liberum arbitrium obtinuerit, denique animi sui praestantiam recte aestimaverit, quaestio oritur, num in Xenophane illae virtutis causae reperiantur.

Politiorem humanitatem in Xenophane fuisse, necesse non est ut singulariter comprobemus. Liberum ejus arbitrium circumscriptum et finitum non erat, neque disciplinae ullius consuetudine, neque opinionibus praesumtis, neque dei cognitione, ita ut quemadmodum Spinoza totus cum deo coiret, vel quemadmodum Graeci temere deorum voluntatibus pareret. Liber et solutus suum arbitrium sequi potuit Xenophanes.

Excutientibus autem quaestionem, num Xenophanes ita animi sui praestantiam senserit, ut ad eam omne officium referendum existimaret, ad duo ejus effatorum respiciendum nobis est. Prius, cujus jam supra mentionem fecimus, reperitur apud Sextum Empiricum (Pyrrh. I. 33. 223), ubi Timon Xenophanem haec facit dicentem:

Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
Ἀμφοτερόβλεπτος δοκίῃ δ' ὁδῷ ἐξαπατήθην
Πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐὼν καὶ ἀπανθήριστος ἁπάσης
Σκεπτοσύνης.

---

*) Φωκυλίδης καὶ Ξενοφάνης φυσικός... ἐγνωρίζετο.

**) Selbst das eleatische Sein und das heracliteische Werden sind noch nicht reine Gedankenbestimmungen, sondern noch materiell gefärbte Anschauungen, verunreinigte Begriffe etc. Schwegler, Gesch. d. Philos. p. 3.

Queritur his vocibus Xenophanes de infirma humani animi natura, quae non sufficiat ad verum cognoscendum, simpliciter fatetur, rationem suam secutum fallaci se incessisse via. Parvi aestimare videtur animum suum, quum ad verum cognoscendum hominem non perducat.

A quo effato discrepat illud quod servavit Athenaeus *): Nullam palmam Olympiae partam neque pugillatu, neque luctando, neque curriculo — quibus qui vicerunt immortalitate digni aestimati sunt — nullam laudem, nullum praemium, a civibus oblatum, eam honestatem homini deferre posse, quam suam sibi sapientiam.

Demisse modo locutus et modeste de philosophia sua, arrogantiae et superbiae opprobrium vix vitare videtur praedicans: sapientia sua ornari se decore, quo major percipi possit nullus. Sed duo illa dicta non ita inter se discrepant, ut conjungi non possint. Prioris dicti haud dubie haec est sententia: philosophiam Xenophani veram rerum cognitionem non comparasse, quatenus res nec prorsus negare, neque quomodo ortae essent, aperire potuerit. In altero dicto Xenophanes per vocem *σοφία* aliud quiddam intellexisse videtur, atque rei alicujus scientiam: eum videlicet animi cultum, qui litterarum et philosophiae studio omnino comparetur.

Sapientia illa Xenophanis non tam in multiplici rerum, quae n philosophia versantur, notitia, quam in eo constat, quod meditando animum ita excoluerit, ut, conscientia optimae mentis concitata, quanto animus corpori praestaret, satis distincte sentiret et intelligeret. Tanti se ipse, cognita melioris sui partis praestantia, aestimabat Xenophanes, ut laudes, quas corporis virtutibus Graeci vulgo sibi colligerent, minimi faceret.

Sapientiae suae sibi conscius humani animi dignitatem honoribus omnibus praetulit, quum animus excultus idoneum faceret

---

*) Deipnos. X. p. 413:

. . . ταῦτα χ᾽ ἅπαντα λάχοι
Οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγώ· ῥώμης γὰρ ἀμείνων
Ἀνδρῶν ἠδ᾽ ἵππων ἡμετέρη σοφίη.

hominem ad honestatem appetendam: honestam enim ipse sapientiam suam praedicavit *).

Atque ita Xenophanes hunc fructum ex philosophia percepit, ut, etsi in rerum natura virtutis principia non inveniret, tamen mentem suam ita excoleret, ut ad illam morum praecepta posset referre. Etsi virtutem referre non posset ad philosophiae suae caput, id est ad opinionem de dei rerumque natura, tamen certe philosophiae studio eo adductus est, ut animo exculto ab opinione de animi humani dignitate virtutis principia ducenda esse censeret.

Ad quam semper respiciens certum satis virtutis principium reperisse videtur.

Ex illo humanitatis fastigio agens homo ipse sibi unus omnia est, ipse sibi praecipit, ipse est actionum suarum finis. Huc omnia bene vivendi recteque faciendi consilia quae Xenophanes in effatis suis, quot supersunt, possunt referri.

Si Xenophanes dicit, eas tantum actiones honestas esse, quibus animi dignitas augeatur, sequitur, ut omnes contentiones, quae non nitantur nisi corporis viribus, neque quidquam spectent nisi bona corporis, a virtute abhorrere existimaverit **).

Omnes enim ludos in quibus qui decertent ne acerbos quidem dolores recusent, etsi quis tam perfecte eos exerceat, ut Olympiae victor praestantiorem sedem in certaminum spectaculis obtineat, veram dignitatem homini non deferre: honestatem non com-

---

*) Ἀλλ' εἰκῇ μάλα τοῦτο νομίζεται οὔτε δίκαιον
Προκρίνειν ῥώμην τῆς ἀγαθῆς σοφίης.

Ath. X. p. 413.

**) Ἀλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο
Ἢ πενταθλεύων, ἔνθα Διὸς τέμενος
Πὰρ Πίσαο ῥοῇς ἐν Ὀλυμπίῃ, εἴτε παλαίων
Ἢ καὶ πυκτοσύνην ἀλγινόεσσαν ἔχων,
Εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον ὃ παγκράτιον καλέουσιν
Ἀστοῖσιν κ' εἴη κυδρότερος προσορᾷν
Καί κε προεδρίην φανερὴν ἐν ἀγῶσιν ἄροιτο
Καί κεν σῖτ' εἴη δημοσίων κτεάνων
Ἐκ πόλιος καὶ δῶρον ὅ οἱ κειμήλιον εἴη.
Εἴτε καὶ ἵπποισιν ταῦτα χ' ἅπαντα λάχοι,
Οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγών· ῥώμης γὰρ ἀμείνων
Ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη.

Ath. X. p. 413.

parari nisi sapientia: ea mentis exercitatione, qua animus adeo erudiatur, ut quid bonum sit atque honestum perspiciat perspectumque appetat. Honorem qui corpori tantum tribuatur non veram hominis naturam tangere, graviorem enim et meliorem hominis partem esse animum.

Graeci quidem robur ceterasque corporis virtutes honestas existimaverunt, quum — Homero auctore*) — veram hominis naturam corpus esse opinarentur, Xenophanes autem, quum animum suum longa exercitatione erudiisset et sensisset animum corpori praestare, in animo hominis dignitatem positam esse intellexit, ita ut hominis esset animi virtutibus excellere. Quae enim res non ad meliorem illam hominis partem referrentur, etsi pulchritudine abundarent in summoque honore essent, honestate carere et contemnendas esse.

Quae contemptio ludorum, quibus omnis mos Graecorum praeclarissime se manifestavit, opinionem concitare possit, Xenophanem omnes voluptates simpliciter et absolute rejici, nihil corpori indulgeri voluisse. Evertitur illa opinio, quum apud Athenaeum **) legatur, qua ratione laetum convivium descripserit. Ita ipse sentit, quae de veris in convivio voluptatibus dicit, ut satis appareat, tantum abesse, ut voluptates convivales morose contempserit, ut omnis convivii, quo animi ad modestam et verecundam laetitiam excitentur, amantissimus fuisse videatur.

Ita enim ad veritatem describere non potest, nisi qui rem

---

*) Il. α, 4. ψ, 21. 65. 107. cfr. Naegelsbach, hom. Theol. VII: Der eigentliche Mensch ist der Leib. Zeller, Philos. d. Gr. I. p. 86: Die Substanz des Menschen ist der Leib. —

**) *Νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων*
Καὶ κύλικες· πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς στεφάνους,
Ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ παρατείνει·
Κρατὴρ δ' ἕστηκεν μεστὸς ἐϋφροσύνης·
Ἄλλῳ δ' οἶνος ἕτοιμος ὃς οὔποτε φησὶ προδώσειν
Μείλιχος, ἐν κεράμοις, ἄνθεος ὀσδόμενος.
Ἐν δὲ μέσοις ἁγνὴν ὀδμὴν λιβανωτὸς ἵησι·
Ψυχρὸν δ' ἐστὶν ὕδωρ καὶ γλυκὺ καὶ καθαρόν·
Πάρκεινται δ' ἄρτοι ξανθοὶ γεραρή τε τράπεζα
Τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη.
Βωμὸς δ' ἄνθεσιν αὐτὸ μέσον πάντῃ πεπύκασται,
Μολπὴ δ' ἀμφὶς ἔχει δώματα καὶ θαλίη.

Ath. XI. p. 462.

ipsam saepe et libenter expertus sit. Verum etiam in ejusmodi voluptatibus aliquanto majorem locum occupari, altiora quaedam spectari vult *): ne corpus animo imperare patiantur, ne insolenter, transeuntes temperantiae fines, libidines ita concitent, ut rectae conscientiae ratio non habeatur.

Intemperantia enim humanae naturae excellentiam turpiter offendi; id quod, laeti videlicet convivii descriptionem hilaritate quadam conspergens, satis commode ostendit, leviter significans, in qua conditione versari soleant, qui gulae nimis indulserint. Laudari autem vult eum, qui in poculis eo animo affectus sit, ut de virtutibus sciat dicere**). Illud summum gaudiorum convivalium fastigium existimat, conviviorum amans vel maxime ea conditione, ut animi ad optimum quodque cogitandum libereque dicendum concitentur.

Itaque quum praecipiat, ut in omnibus contentionibus meliori hominis parti ratio habeatur, sequitur ut luxuriam stultam et inutilem dicat***), et vituperandum censeat eum, qui vestium nimio splendore conspiciendoque comarum comptu excellere studeat et gloriari, quum corpus exornet atque extollat, imminuat honorem animi. Corpus enim esse, quod in tali promineat et admirationem commoveat, animum recedere atque negligi. Splendore corporis obscurari dignitatem animi. Rejiciendum igitur censuit Xenophanes luxum a Lydis acceptum, quo effectum esse videretur, ut Colophoniorum civitas in Persarum dominatum veniret, quum ne

---

*) *Οὐχ ὕβρεις· πίνειν δ' ὁπόσον κὲν ἔχων ἀφίκοιο*
Οἴκαδ' ἄνευ προπόλου, μὴ πάνυ γηραλέος.

Sine puero facem portante aut viam nonstrante ab epulis redire modicae potationis et veteris temperantiae indicium, quod apud Lacedaemonios etiam lege jussum erat: *πιόντες δὲ μετρίως ἀπίασι δίχα λαμπάδος* ait Plutarchus Lycurg. c. 12. Xenophon Rep. Laced. c. 5. sect. 7. cfr. Karsten p. 72.

**) *Ἀνδρῶν δ'αἰνεῖν τοῦτον ὃ ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει*
Ὡς οἱ μνημοσύνη καὶ μένος ἀμφ' ἀρετῆς.

Ath. l. l.

***) *Ἀφροσύνας δὲ μαθόντες ἀνωφελέας παρὰ Λυδῶν*
Ὄφρα τυραννείης ἦσαν ἄνευ στυγερῆς
Ἤϊσαν εἰς ἀγορὴν παναλούργεα φάρε' ἔχοντες
Οὐ μείους ἤπερ χίλιοι ὡς ἐπίπαν
Αὐχαλέοι, χαίτῃσιν ἀγαλλόμενοι χαριέσσῃς
Ἀσκητοῖς ὀδμὴν χρίμασι δευόμενοι.

Ath. X. p. 526.

illi quidem viri ad conservandam et augendam civitatem quidquam conferrent, qui excellerent corporis virtutibus *).

Itaque existimans Xenophanes, Graecos, quum ad corporis praestantiam comparandam eniterentur, in mollitiem et perniciem incidisse, ad temperantiam et sapientiam perventuros eos censuit, si animos bene erudirent. Ea de causa Homeri et Hesiodi opera, quibus nihil honesti inesset **), e scholis ejici et id potissimum in educandis pueris spectari voluit, ut non tam multae fabulae et carmina discerentur, quam animi meditando exercerentur et excolerentur, quod vel in minore rerum discendarum copia fieri posset ***).

Pauca illa supersunt de multis, quae Xenophanes de morum disciplina scripsit; multa enim de rebus huc pertinentibus egisse videtur, siquidem perversos aetatis suae mores conformare et corrigere studuit, et morum causa Homerum et Hesiodum ita vituperavit, ut poetarum illorum acerbissimus adversarius diceretur. Sed sufficiunt exiguae illae reliquiae, ut intelligatur, quam rationem in philosophiae parte morali secutus sit.

Proficiscitur ejus disciplina a meditatione, nititur humani animi natura, exercetur ratione, hominis animo insita. Animi

---

*) *Οὐ γὰρ εἰ πύκτης ἀγαθὸς λαοῖσι μετείη*
Οὔτ' εἰ πενταθλεῖν, οὔτε παλαισμοσύνην.
Οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν τόπερ ἐστὶ πρότιμον
Ῥώμης, ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει.
Τοὔνεκεν ἂν δὴ μᾶλλον ἐν εὐνομίῃ πόλις εἴη
Σμικρὸν δ'ἄν τι πόλει χάρμα γένοιτ' ἐπὶ τῷ
Εἴ τις ἀεθλεύων νικῷ Πίσαο παρ' ὄχθας·
Οὐ γὰρ πιαίνει ταῦτα μυχοὺς πόλιος.

Ath. X. p. 413.

**) *Οὔτε μάχας διέπειν Τιτήνων οὐδὲ Γιγάντων*
Οὐδέ τε Κενταύρων πλάσματα τῶν προτέρων
Ἢ στάσιας, φλεδόνας τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστιν.

Ath. XI. p. 462.

***) Hanc rem Krause (Gesch. d. Erz. § 3: ionische Staaten) hisce verbis tetigit: „Der Masse des Stoffs gegenüber suchte man auch die Methode in den Lehranstalten zu verbessern und zu erleichtern. Gegen Ende dieser Periode traten selbst reformirende Gegner des Bestehenden auf, so wie z. B. der Colophonier Xenophanes, der das als Schulbuch eingeführte und in dieser Eigenschaft so allgemein geschätzte homerische Epos verurtheilte. Eben so wenig wollte er die Gesänge des Hesiod als Schulbuch gelten lassen."

educatione conscientia optimae mentis concitatur, sentitur humanae naturae praestantia, ad quem si homo quidquid agit studet referre, honeste agere censetur. Virtutis illud principium simplex et absolutum videtur, quum ex vera hominis natura proficisci, totamque amplecti appareat; origo et eventus ejus homine digni sunt, et origo quidem, si homo liberum animal non debeat parere nisi legibus, quas ipse sibi tulerit, et eventus, quum virtus ex illo principio profecta summam homini dignitatem tribuat.

Ad illud virtutis principium omnes fere omnium temporum philosophi, quatenus in constituenda morum disciplina non profecti sunt nisi ab hominum natura, ducti esse videntur: Pythagoras virtutis principium in harmonia quadam, omnium inter se animi virium concentu atque consensu reperisse sibi visus est; Socrates distinctius virtutem ad humani animi leges rettulit, beatitudinem virtutis finem et pretium proponens; Aristippus et qui eum secuti sunt Cyrenaici virtutem rettulerunt ad comparandam suavem voluptatum vicissitudinem; Plato Socratis decreta ad artem redegit; Aristoteles mediocritatem in omnibus rebus servari voluit; ex recentioribus Wolffius perfectionis quandam rationem docuit, Kantius imperativo illo categorico obtemperandum, Fichteus liberrimum arbitrium sequendum esse statuit.

Itaque etiam Xenophanes in illo virtutis principio amplam morum disciplinam exstruere potuit, sed ex ingenii ejus monumentis, quot supersunt, colligi non potest, eum decreta sua, quibus mores conformare voluerit, ad artem redegisse; utrum illud omiserit, quod efficere non potuisset, ut inter dei et virtutis notionem concentus aliquis et consensus intercederet, an quod omnino ars ejus dialectica componendae morum disciplinae non suppeteret, statuere non possumus.

Sed vel exigua illa morum praecepta sublimis ingenii monumenta existimanda sunt, et ex ipsa philosophiae Xenophanis parte morali intelligitur, quanto humanitate ille aetatis suae homines superaverit. Animum corpori praeferens jam sensit quod demum Anaxagoras praedicavit, honestate et gravitate ad ipsius Socratis perfectionem prope accedens, subtilitate et constantia in meditando excellens, speciem praebet philosophi magno ingenio praediti.

Et magni profecto ingenii erat, ita animum a sensibus avo-

care, ut ad solam animi naturam omnia consilia et facta referrentur. Namque quum Graeci non solum ingenii ubertate abundarent, sed etiam corporis virtutibus splenderent, facile accidit, ut vel optimus quisque voluptatum, venusta specie excellentium, studio teneretur atque comparandis corporis virtutibus acquiesceret. Huc accedit, quod tantum aberat, ut voluptatibus illis Graecorum animi simpliciter profligarentur, ut, ad summae vel corporis perfectionis speciem enisi, nullo vitae decore et ornamento carere viderentur.

Ut enim vel Socrates ipse cum discipulis suis, salva honestate, amicarum consuetudinem non prorsus contemnebat neque poculis minus fortis erat quam armis: ita alius quisque, quamvis ad summum quodque appetendum eniteretur, deorum exemplo pellici potuit, ut vitam levem degeret et lascivam, nihilominus autem venustatis et elegantiae plenam, et quae honestatis speciem praeberet.

Qua specie perspecta quum animadvertisset Xenophanes corruptelam morum sub honestatis specie latentem, voluptatibus jam non decipi potuit, sed eversis fallacibus virtutis illius fundamentis id egit, ut vitae rationes exquireret, quae homine digniores essent. Quibus in exquirendis ea constantia erat, ut, quamvis de humanae mentis infirmitate, quod ad cognoscendam veram rerum naturam non sufficeret, desperaret, tamen de hominis dignitate non dubitaret, sed eandem observans et colens virtutis causam et finem reperisse se existimaret, largumque satis, etsi non illum quem exspectasset, fructum ex philosophia percipere posset.

Eadem autem constantia, qua in philosophiae studio animum a sensibus avocaverat, ad appetendam virtutem adhibita, fieri non potuit, quin adipisceretur quod honestum esse cognovisset.

Omittentes autem exquirere, quibus etiam infirmitatibus quum omnis morum disciplina, non profecta nisi ab hominis natura, tum etiam illa, quam statuit Xenophanes, laboret, videamus potius, quae ratio Xenophanis de moribus opinioni cum aetatis illius ingenio intercesserit, quum id egisse videatur Xenophanes, ut aequalium suorum animos, qui rebus fictitiis inhaererent, liberaret, eorumque de moribus opiniones corrigeret.

III.

Xenophanis de virtutis studio praecepta prorsus fere opposita fuisse aetatis illius ingenio jam supra diximus: ille omnem morum disciplinam ab hominis arbitrio, cultu quidem et humanitate temperato proficisci voluit; apud Graecos omnis mos ita religione nitebatur, ut nefarie agere existimaretur, qui suum arbitrium interponeret. Religione omnia familiae et civitatis instituta continebantur; jam puerorum educatio praecipue in ionicis civitatibus ad id maxime dirigenda videbatur, ut religione mores conformarentur *).

Sed etsi Graeci, ex illa religione veluti ex perenni fonte haurientes, omne pietatis animique voluptatis desiderium explerent, tamen illum fontem neque integrum neque salutarem esse eventu expertus videtur Xenophanes. Omnibus enim sacris opinionibus morumque praeceptis, quamvis summa auctoritate florerent, prohibitum non est, quin, moribus magis magisque corruptis, effrenata cupiditas civitatis ruinam traheret **).

Religionem autem, a qua omnium cupiditatum licentia non abhorreret, infirmam et fallacem esse, bene perspexisse videtur Xenophanes, quamquam sola illa religione omnem perniciem allatam esse, nimis violentum est dicere. Anceps enim erat Graecorum religio, et imbecilla quidem, ita ut libidinibus indulgeret, et

*) Cfr. Creuzer, Symb. u. Myth. I. § 6 ff. Prima pueritia fabulis imbuebatur, provectior aetas morum causa in pronuntiandis carminibus exercebatur, cui rei selectione habita eorum poetarum opera, qui de moribus scripserant, praecipue Homeri, Hesiodi, Simonidis, inserviebant Homeri carmina a Pisistratidis collecta et divulgata (Ael. var. hist. XIII. 14. Cic. d. orat. III. 34.), ipso Xenophanis tempore multum auctoritate valuisse videntur neque minimum apud Colophonios, qui cum sex illis urbibus de „stirpe insignis Homeri certasse“ traduntur. (Gell. N. A. III. 11.)

**) Aelian. Var. hist. I. 19: *Ἃ γὰρ οὐκ ἔστι τοῖς πολλοῖς γνώριμα ταῦτ' ἐγὼ ἐρῶ· Κολοφωνίους φασὶ καὶ αὐτοὺς διὰ τῶν πάνυ τρυφῶν ἀπολέσθαι· καὶ γάρ τοι καὶ οὗτοι ἐσθῆτι πολυτελεῖ ἐθρύπτοντο καὶ τραπέζης ἀσωτίᾳ καὶ ὑπὲρ τὴν χρείαν χρώμενοι ὕβριζον.*

gravis acrisque, ita ut animos ad pulcherrimum quodque appetendum erigeret: ad quam partem pro sua quisque indole erat propensus. In Lacedaemoniis, quorum in animis pulchritudinis et honestatis eximia quaedam species insidebat, religio illa diu bonam frugem tulit: Colophonii propensi erant ad voluptates. Quum enim naturae donis abundarent, multum domi militiaeque iis elaborandum non esset, natura rerum factum est, ut animi languescerent atque libidines concitarentur.

Et ea quidem indulgentia erat Graecorum religio, ut sub ejus specie omnis libido satis late vagari posset, et in ea re vel maxime ejus infirmitas intelligitur, quod homo salva pietate voluptatibus corporis deditus fuerit, neque a se ipso dissidere se senserit. Huc accedit, quod illa religio vero vigore carens corruptos semel mores non emendare neque homines ad virtutem revocare potuerit. Quare Xenophanes illa virtutis fundamenta, in quibus salutaris morum disciplina exstrui non posset refutari voluit, et ita agnosci humani animi dignitatem, ut singulorum hominum libera voluntate, quae animi cultu temperata esset, omnis virtutis studium contineretur.

Corrigere igitur voluit Xenophanes aequalium suorum mores, sed qua ratione? doctrinis; si autem Graeci ea aetate vel maxime artis operibus ad virtutis studium incitati sunt, etiam in hac re Xenophanem aetatis suae ingenio oppositum fuisse contenderimus.

Multum ad conformandos mores picturae et sculpturae opera contulerunt; illa enim deorum immortalium simulacra non sensus solum, sed animos movebant et hominem adeo erudiebant, ut sentiret dei notionem animo insitam et eniteretur ad eam omnium inter se animi virium concordiam adipiscendam, quam summam gravitati et honestati numinum divinorum inesse videbat *). Quae simulacra animis obversantia non ad elegantiam solum sed ad religionem hominum animos educabant. Huc accedit, quod sacrae illae opiniones honestaeque species denuo semper ab artificibus, summo ingenio praeditis, concipiebantur et emendatae subtilioribus imaginibus exprimebantur, ita ut illa quidem simulacra, qua-

*) Cfr. Jacobs, Verm. Sch. 1829. p. 9 — 19. Grüneisen, Ueber das Sittliche der bildenden Kunst bei den Griechen (Ztschr. für hist. Theol. Illg. Leipzig 1833 3. III.)

lia Xenophanis aetate erant, per se mores non corrupisse videantur; etsi negari nequeat, posterius ea libidinosi aliquid habuisse, et, sensibus titillationem nimiam adhibentia, cupiditates corporis concitasse.

Xenophanes autem omnem artem simpliciter contempsit, quum jam omnino verae religionis quidquam inesse artis operibus negaret*), neque eorum contemplatione mores in melius mutari videret, siquidem eum fugere non potuit, augeri quidem signis illis contemplandis deorum auctoritatem, minime autem eadem ratione virtutem.

Contemnens igitur illam signorum contemplationem qua sensus tantum moverentur, non erudirentur animi, doctrinis, concipiendis, ratione mentem a sensibus avocante, mores conformare voluit. Sed doctrinae illae parum efficaces fuerunt, parum enim omnino docendi illud genus (quod didacticum dicimus) apud Graecos valuit, quum id esset eorum ingenium, ut libere et solute, quae animis insita essent, excolerent atque sequerentur, parum etiam poesis didactica apud eos viguit. Finito demum bello Peloponnesiaco, quum, defatigatis animis, virtutes deficere coepissent, sapientiae morumque praecepta atque doctrinae auditae sunt.

Praeceptis igitur Xenophanes nihil efficere potuit apud Graecos, multo minus apud Colophonios. Qui quum artium operibus, ad aetatis illius ingenium accommodatis, frustra ad virtutem et temperantiam vocati essent, quomodo moverentur praeceptis, quorum cognitio animo eorum altior erat!

Tales civitates ab interitu vindicare nemo potuit: excolendis vitiis, animo insitis, in perniciem ruerunt. Xenophanem autem per sexaginta septem annos cura et sollicitudine affecerunt.

Sed ne ab iis quidem, qui ad animi virtutes eniterentur, Xenophanis disciplina facile recipi potuit, intelligere enim summum illud bonum, quod statuit Xenophanes, non potuit, nisi qui eadem qua ille tristitia et severitate res, quae in philosophia versantur, perscrutatus fuisset. Tum autem quis ejusmodi rebus operam daret, quo tempore vel optimus quisque ita vitae venustate tenebatur,

---

*) Clem. Alex. Strom. V. p. 601. C. et Euseb. praep. ev. XIII. 13. p. 678. D. Cfr. pag. 12.

ut recusaret, animum demergere in abstrusarum rerum pervestigationem.

Praecurrerat Xenophanes aetatem suam. Ut omnino Graecorum civitates cultu et humanitate celerius creverunt quam ceteri populi, ita in ipsa Graecia coloniae maturius adoleverunt quam patria. Primae eae philosophos protulerunt, sed etiam illi philosophi cogitationibus suis vel excultae satis gentis, ex qua orti erant, opiniones egressi sunt.

Inter quos quum esset Xenophanes, accidit, ut eum aetas sua parum intelligeret neque pro merito dignaretur. Quemadmodum autem Graeci olim existimaverunt, bellum Troicum gestum esse, ut ipsi haberent quod canerent (*ἵνα ἦσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή*), ita nos dicere possumus, nobis vixisse et cogitasse illos Graecorum philosophos, si in ingenii eorum cognitione totos nos collocamus ipsosque adamamus.

De vita mea.

Ego, Paulus Adalbertus Rudolphus Timotheus Rueffer, natus sum VIII. cal. Maj. MDCCCXLVI Proschlitii, vico prope Cruciburgum urbem in Silesia superiore sito, patre Joanne Alberto Rueffer, verbi divini ministro apud Proschlitienses et Omechauienses, matre Louisia e gente Kellneria; quos parentes carissimos deus optimus adhuc salvos esse voluit.

Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo altero, quum patri munus ecclesiasticum apud Cauernenses et Cattovicenses administrandum traditum esset, Cauernum migravimus, qui vicus in dioecesi Bregensi, ad dextram Viadri ripam, situs est. Ibi puerili doctrina me instituerunt pater ipse et avunculus, praefectus cohortis, qui cum commodis emeritae militiae dimissus nobiscum habitat, provectiorem iidem grammatica me docuerunt, artem musicam vir humanissimus Carolus Scholz, ludimagister Cattovicensis.

Quum tertium decimum annum agerem in disciplinam „illustris" gymnasii regii Bregensis, directore ill. Iulio Guttmanno, receptus sum. In quo gymnasio quum per quinquennium versatus essem, superato examine, in academiam litterarum Lipsiensem me contuli, ut in theologia et philosophia studium collocarem. Magistros ibi reperi, qui non solum doctrinis me imbuerunt, sed etiam liberalitate et humanitate cumularunt. Sunt illi viri summe reverendi Ahrens, beat. Anger, Brueckner, Curtius, Delitzsch, Drobisch, Erdmann, Fricke, Hofmann, Kahnis, Luthardt, Marbach, Schmidt, Tischendorf, beat. Tuch, Voigt, Wuttke, quorum nomina gratissimo semper animo prosecuturus sum. —

Quadriennium in illa academia versatus, hanc dissertationem amplissimo Philosophorum ordini, ad philosophiae Doctoris et artium bonarum Magistri dignitatem rite impetrandam, tradidi.